92

CAJETANI FORTES

SACRI CONSISTORII ADVOCATI

DISSERTATIO

DE JURE USUCAPIENDI.

313.5

ROMÆ, MDCCLII.

Ex Typographia Antonii de Rubeis, in via Seminarii Romani.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro
BENEDICTO XIV.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

CAJETANUS FORTES.

MUnerum, BENEDICTE P. M., *non eadem omnium eſt ratio. Nam ſunt, quæ permagni pretii cum ſint, ſua ſe æſtimatione com-*

mendant. Et alia ſunt, quæ unus commendat animus illius, a quo proficiſcuntur. Ex primo illo genere Libellum hunc meum, quem ad Sanctitatem Tuam defero, eſſe non poſſe, ego ipſe video, ac ſentio. Etenim quominus perfectior, ornatior, ac te Pontifice, & tanto Pontifice dignus videretur, rei ipſius difficultas, occupationes ſane multæ, ingenii tenuitas obſtiterunt. At ſi animum ipſum, quo illum defero, inſpicias pleniſſimum non obſervantiæ modo, ſed pietatis, (hoc enim nomen poſcit magnitudo beneficiorum erga me tuorum) erit fortaſſe, quo Munuſculum hoc meum humanitati tuæ non ingratum accidat. Per hanc ipſam igitur humanitatem tuam oro Te, BENEDICTE PONTIFEX, *ut libellum hunc, qualiſcumque eſt, Tuo nomine inſcriptum exire ſinas; ex quo ipſo Nomine ſancto, atque auguſto omne illi accedet ornamentum.*

IM-

100

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Mag. Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. De Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſgerens.

LEgimus diligenter Diſſertationem Cajetani Fortes Sacri Conſiſtorii Advocati *De Jure Uſucapiendi*, quumque nihil in ea deprehenderimus, quod non graviter, non eleganter, ſapienterque dictum ſit; quodque Orthodoxæ religionis decretis, recteque inſtitutioni morum repugnare videatur; dignam eſſe cenſemus, quæ publicetur.

Romæ in Ædibus Miner. XIX. Kalendas Februarii anni 1752.

Fr. Thomas Maria Mamachi Ord. Præd.

Fr. Dominicus Vincentius Maria Bertucci Ord. Præd.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendiſs. Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici Socius, Ordinis Prædicator.

DE

Digitized by Google

DE JURE USUCAPIENDI DISSERTATIO.

QUæ duæ res magno Civitatibus detrimento eſſe ſolent, atque erumpere aliquando ad perniciem Reipublicæ; has ambas una, quæ de Uſucapione erat, compreſſit lex Romanorum; deſidiam ſcilicet ſingulorum, qua privatæ cujuſque res, publicæque ſimul dilabuntur, & eam rerum poſſeſſionumque confuſionem, ut omnia diu, ac fere ſemper in dubium, incertumque revocarentur: Præclare Cicero (a), qui hanc legem ipſam *finem ſollicitudinis, ac periculi litium* appellavit. Nam cum ea lege cautum eſſet, ut qui certo aliquo tempore rem bona fide acceptam poſſediſſet, ejus rei dominus & haberetur, & eſſet,

 jam

(a) *Orat. pro Cæcinna.*

Digitized by Google

jam Civium coercitâ deſidiâ ad ſua quiſque diligentius tuenda excitabatur, certiſque conſtitutis poſſeſſionum ac dominii finibus, præſocabantur ſemina diſſenſionum, cuncta denique Civitas induſtriâ, opulentiâ, concordiâ eſſloreſcebat.

Ac initio quidem breve temporis ſpatium uſucapioni præfinitum eſt Leg. duodecim Tabularum [a], qua cavebatur: *Uſus auctoritas fundi biennium cæterarum rerum annuus uſus eſto*. Hinc res ſoli, quæ fundi nomine appellabantur, biennio, mobiles anno uſucapiebantur: Et quoniam tempore, quo XII. Tabulæ perlatæ ſunt, iiſdem, quibus Italia, finibus terminabatur Romanorum Imperium, & etiam aliquanto anguſtioribus, in res immobiles tantum Italicas, quæ *mancipi* dicebantur, uſucapionis auctoritas erat: ſed propagato poſtea in exteras uſque nationes imperio, cum prædiorum provincialium, quæ *nec mancipi* vocabantur, nulla eſſet jure XII. Tabularum uſucapio, Prætorum Edictis, Principumque Conſtitutionibus [b] longius temporis intervallum ſtatutum eſt, ut ubi uſucapio ceſſaret, præſcriptio obtineret: Quare res immobiles provinciales non biennio, ſed longa decennii poſſeſſione inter præſentes, vicennii inter abſentes adquirebantur. Atque hoc maxime, ut alia prætereamus, inter uſucapionem, ac præſcriptionem intererat, ut uſucapione dominium ipſo jure Poſſeſſori adjiceretur; præſcriptione vero, ejus qui dominus antea fuiſſet, ſummoveretur actio, & ex-

(a) *Gothofred. ad leg. XII. Tab. tab. VI.*
(b) *Heineccius in Syntagm. Antiq. Rom. lib. 2. tit. 6. §. 7.*

exceptione tutus Poſſeſſor eſſet (a). At *Juſtinianus in L. Unic. Cod. de Uſucap. transformanda*, exploſis Veterum ſubtilitatibus, uſucapionem, & præſcriptionem in unum conflavit, ſublatoque diſcrimine rerum mancipi, & nec mancipi, ſolique Italici, & Provincialis, par in omnibus jus eſſe voluit, reſque mobiles triennio, immobiles inter præſentes decennio, inter abſentes vicennio uſucapi ſtatuit, atque præſcribi.

Hæc itaque Juſtiniani lex eſt, quam more, inſtitutoque Majorum explicandam ſuſcepimus: Et quoniam ea continet totam ferè rationem temporis, quo tempore res omnes ſive mobiles, ſive immobiles noviſſimo Jure uſucapi, ac præſcribí poſſunt, non alienum exiſtimavimus eas theſes publicè diſputandas proponere, quæ ex univerſo uſucapionum, ac præſcriptionum jure utiliores, atque illuſtriores viderentur: Quas inter cum principem obtineat locum, & aliis quaſi facem præferat, quæ uſucapionis, præſcriptioniſque fontes ipſos aperit, huc diſputationem omnem conferemus, ac utrum, & a quo nam jure Naturali ne, & Gentium, an a Civili, & poſitivo, & qua ratione proficiſcatur, inveſtigabimus. Permagna ſane quæſtio, ſed ad rem cum privatam, tum publicam tuendam, ac conſtabiliendam magnoperè accomodata.

Ac de uſucapionis, & præſcriptionis origine duas video ferri ſententias: Unam eorum, qui præ-

(a) *Cujacius in Paratitlis, & rurſus in Commentariis ad Cod. tit. de præſcript. longi temp., Connan. Commen. J. C. lib. 3. cap. 11. num. 2.*

ſcriptionem ipſam a Naturæ, & Gentium jure manare defendunt, & hi quidem non pauci, ſed alius alia de cauſa: Sunt enim, qui ex fine conſtitutæ proprietatis (a); ſunt qui ex deſidiæ pœna (b); ſunt qui ex jurium obſcuritate, & confuſione (c); ſunt qui ex tacita rei derelictione (d); Et denique ſunt, qui ex periculo fœlicitatis humani generis (e) rationem petunt opinionis ſuæ: Alteram eorum, (f) qui ſtatuunt, præſcriptionem hanc Juri tantum Civili tribuendam, & adeo tribuendam, ut illi, quod Jus Naturæ & Gentium dicitur, repugnantem putent.

In hac varietate, & diſſimilitudine ſententiarum, quid ego ipſe ſentiam, non antea expono, quam duo conſtituam. Primum quidem: Jus Naturæ, & Gentium illud intelligere me, quod recta præcipit ratio (g) ad continendam hominum inter homines ſocietatem, & cujus vis æterna, atque immobilis eſt apud omnes Gentes: Deinde genus præſcriptionis, de qua diſſeremus, eſſe duplex: Nam alia, quæ conſtat certo quodam temporis ſpatio a Le-

(a) *Barbeyrac. ad Puſſendorf. de J. N., & G. l. 4. C. 12. §. 8. nota. Gallic. 3.*
(b) *Hugo de Roy lib. 3. tit. 3. de eo, quod juſtum eſt.*
(c) *Leyſerus Meditat. ad Pandect. ſpec. 404. n. 2., ibique Leibnitius.*
(d) *Grot. de J. B., & P. l. 2. cap. 4., Conring. de Fin. Imperii C. 19. Gundling. Jur. Nat. & Gent. cap. 20. n. 58.*
(e) *Balduinus ad Tit. de Uſurp., & Uſucap., Chriſtian. Thomaſ. diſſ. de præſcript. Regalium ad Jura Subditorum non pertin. Cap. 1. §. 4.*
(f) *Cujac. ad L. 1. ff. de Uſurp. & Uſuc. Alciat. ad l. 5. C. fin. regund. Ancſius de Conſcient. 5. c. 41.*
(g) *Cicero lib. 1. de legib. C. 6. l. 9. ff. de Juſ., & Jur., L. 1. ff. de adquir. rer. domin. Inſtit. lib. 1. tit. 2. §. 1., Grot. de Jur. Bell., & Pac. lib. 1. cap. 1. §. 10., Puffendorf. de J. N., & G. lib. 2. C. 3. §. 12., & 13., Hertius de Socialit. Jur. Natur. princ. & Sibrandus in diſſert. de Principio Juris Naturalis.*

Lège definito: Alia, quæ immemorialis eſt, & appellatur, propterea quod tam diuturno quis tempore rem habuerit, atque poſſederit, ut memoria initii nulla ſit.

His ritè poſitis, de utroque præſcriptionis genere ordinate diſputandum: Ac illam quidem certo concluſam temporis ſpatio civili lege definito, quam temporariam appellabimus, non a naturali, & Gentium jure, ſed a Civili proficiſci totam exiſtimo, at non ita, ut ea naturali juri adverſetur. Etenim cum ea demum juris Naturalis, & Gentium æſtimanda ſint, quæ ex rectæ rationis præſcripto ſponte, ac neceſſario fluant ad humanæ ſocietatis vinculum obfirmandum, decennalem præſcriptionem ejuſmodi eſſe non poſſe intelligitur, propterea quod nulla ſit naturalis ratio, quæ præcipiat ipſa per ſe ſe, ut qui a non domino rem habuerit, ob id ſolum, quod bona fide habuerit, decenniumque poſſederit, ſtatim dominus efficiatur: Immo naturæ quaſi vox eſt, ut dominium transferre in alium nemo poſſit, qui non habet. (a) Et neque illud a natura manare poſſe videtur, ut meum quod eſt, nullo facto meo alienum fiat: (b) Ex quo enim tempore dominia rerum jure Gentium diſtincta, ac diſpertita ſunt, ſtatim quæque res ei, cui obtigit ita quæſita videtur eſſe, ut invito eripi non poſſit. (c)

 Quid

(a) *Lege Nemo ff. de Regul. Jur.*

(b) *L. Id quod noſtrum ff. de Regul. Jur. Heinecc. de Jur. Nat. & Gent. lib. 1. c. 12. in not. ad §. 23. Wolfius Jus Natur. part. 2. c. 3. §. 466.*

(c) *Cujac. ad l. 1. ff. de Uſur. & Uſucap. Wolfius Jus Nat. method. ſcientific. demonſtrat. Part. 2. c. 3. §. 669.*

Quid vero aliud præſcriptio valet ipſa, niſi, ut mea quæ ſunt, nullo accedente facto meo, adjiciantur alteri? Neque ullum ſanè certum domini factum in Uſucapione apparet; Nam & ignaro ipſi præſcribitur [a] & eam ob cauſam præſcribitur, quod lege definitum tempus, eo tacente, præterlapſum ſit: *Uſucapio* (inquit Modeſtinus) [b] *eſt adjectio dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti*. At cujuſnam ope hæc dominii adjectio fit? Certe ope unius civilis legis, quæ eam tempori vim tribuit, qua tempus naturaliter caret: [c] Etſi enim quæque res tempore exiſtat, nulla tamen res tempore ipſo conſiſtit. [d]

Quare perſpicuum eſt, quæ civili lege inducta præſcriptio eſt, eam a naturali Jure nunquam pendere neceſſario. Quod ipſum cum ex iis, quæ dixi, adducor ut credam, tum ſi hujuſmodi præſcriptionis momenta rationum omnia expendantur. Etenim præſcriptionem ipſam conſtituit lex tanquam Civium negligentiæ pœnam: [e] At duriorem quidem, quam ut a natura ipſa inflicta dici poſſit. [f] Nemini enim jure naturæ non licet in rebus ſuis eſſe negligentem; Neque eodem jure perſuaderi poteſt,

(a) *L. ultim. in fin. C. de præſcript. long. temp. l. 3. & 4. C. de præſcript. 30. ann. l. unic. C. de Uſucap. transfor.*

(b) *L. 3. ff. de Uſurp. & Uſucap.*

(c) *L. 44. ff. de Action. & Obligat. Grot. lib. 2. c. 4. §. 1. Gerard. Titius in notis ad Puffendorf. de Offic. homin. & Civ. lib. 1. c. 12.* 306.

(d) *Grot. loc. cit.*

(e) *L. 2. C. de Ann. Except.*

(f) *Puffendorf. de Jur. Nat., & Gent. lib. 4. c. 12. §. 6., Christian. Thomaſius diſſ. de præſcript. Regal. §. 4.*

Digitized by Google

teſt, negligentiam ſuam, ſi tamdiu duraverit, quamdiu legis Conditori libuerit, ita cuique obeſſe oportere, ut dominio rei ſuæ dejiciatur.

Dominium autem cum eo contineatur maxime, ut Dominus ſua de re ſtatuat quid velit, (a) cur non illud etiam ſtatuere poſſit, velle ſe neque aliquo tempore ſuas repetere res, neque perpetuo amittere? At diu tacuit: Ergo dereliquit. Ita lex ipſa concludit. Quæ concluſio habet quidem probabilitatem conjecturæ, naturæ neceſſitatem non habet. Poteſt enim fieri, ut alia plane cauſa ſilentii domino fuerit, quàm quod in animum induxerit ſe rerum ſuarum dominio abdicare: (b) Præſertim cum ignaro Domino præſcribat lex, quæ putat tanto temporis intervallo in ignorantia rerum ſuarum verſari Dominum non poſſe, cum certe naturaliter poſſit. (c)

Quod ſi præter Domini taciturnitatem alia quædam indicia apparerent non obſcure ſignificantia, animum Domini fuiſſe ejuſmodi, ut res ipſe ſuas derelinquere voluerit, tunc non repugnarem, quominus is adquirendi modus a Naturali, & Gentium Jure profectus diceretur. Ita recte exiſtimarunt Grotius (d)

 Tho-

(a) *Leg. in re 21. C. Mandat. Titius ad Puffendorf. de Offic. hom. & Civ. obſervat. 306. Heinecc. Jus Nat. & Gent. lib. 1. c. 12. §. 311. Gundling. diſſertation. 17. de Rei vindicat. ex I. K. & Patr. §. 11.*

(b) *Henric. Coccejus in comment. ad Grot. lib. 2. c. 4. §. 1.*

(c) *Everardus Otto in præfat. Tom. 5. Theſaur. Juridic. pag. 4. Hertius ad Puffendorf. de Jur. Natur. & Gent. libr. 4. cap. 12. §. 8. Not. 4.*

(d) *Lib. 2. c. 4. de I. B., & P.*

Thomaſius, [a] & alii. [b] At vereor, ne Viri cæteroquin doctiſſimi lapſi in hoc videantur, quod hanc adquirendi rationem ad Uſucapionis, præſcriptioniſve genus retulerint. Nam ſemel ac res quiſque ſuas ſive verbis, & factis, ſive aliis non obſcuris indiciis abjeciſſe oſtenderit, eas, qui primus occupaverit, non uſucapione, aut poſſeſſionis continuatione aliqua, ſed ſuas ſtatim facit ex illo Jure Naturæ & Gentium, quo Jure res nullius primo occupanti cedunt. [c] Sed ut ut res ſe habeat, ad hanc præſcriptionem, qualiſcumque tandem ſit, aut dicatur, noſtra non ſpectat oratio: Pertinet enim ad illam, quæ non reliquorum ſignorum, ſed taciturnitatis, & temporis rationem omnem habet.

Sapienter igitur Juſtinianus, qui ubi egit de rerum dominio ex Jure Naturali, & Gentium adquirendo, nullam hujuſce præſcriptionis mentionem facit: Alio autem loco [d] explicate eam refert ad jus Civile: Quod ante viderat Paulus Juriſconſultus. [e] Ulpianus autem hanc præſcriptionem conjungit mancipationi, & in jure ceſſioni, quos nemo ignorat eſſe modos quærendi dominii jure tan-

tum

(a) *Diſſertat. de Jure Regalium ad Jura Subditorum non pertinente.*

(b) *H.beiſelius in diſſert. de fundamentis in doctrina de præſcriptione, & derelictione Gentium tacita diſtinctius ponendis. Wolfius de Jur. Nat. & Gent. method. ſcientific. demonſtrat. Gudlingius de Jur. Nat. & Gent. 20. §. 58. Coringius de Finib. Imperii c. 19. Werlhofius, & Kippingius peculiaribus diſſertationibus adverſus Puteanum.*

(c) *L. 3. ff. de adquir. rer., Donell. Comm. I. C. lib. 4. cap. 7. §. 2. Puffendorf. de I. N., & G. lib. 4. c. 5. §. 1. Everardus Otto in Notis ad eumdem de Offic. Hom., & Civ. lib. 1. c. 12. §. 6.*

(d) *§. 6. Inſtit. de Uſu, & habitat; princ. Inſtit. de Uſucap.*

(e) *Leg. 18. §. 1. ff. de damn. infect.*

tum Civili [a] conſtitutos. Ipſe idem Cicero [b] hanc eamdem præſcriptionem non a naturali Jure, de quo tam multa, ac præclare ſcripſit, ſed a XII. Tabulis profectam affirmat. Cujus rei argumentum & ipſæ XII. Tabulæ præbent, quæ æternam auctoritatem eſſe voluerunt [c] adverſus Hoſtes, peregrinos ſcilicet, qui a Quiritario dominio, quod uſucapionis lex Romanis duntaxat Civibus adjiciebat, repellebantur. [d] At naturale Jus latiſſime patet, unumque eſt, atque idem apud omnes Gentes.

Jam vero his expoſitis, concluditur quidem præſcriptionem, de qua diximus, Civili, non naturali Juri tribuendam: At non illud concluditur, quod Naturali Juri omnino adverſetur. In hac ſane opinione fuerunt clariſſimi Viri Ameſius [e] Alciatus [f] Cujacius, [g] & Duarenus: [h] Quos tamen bona cum eorum venia hac in re non ſatis acutos fuiſſe dixerim: Videntur enim ex hoc ipſo, quod præſcriptio ejuſmodi ex Jure Naturæ, & Gentium non emanaverit, eo nimium facile deſcendiſſe, ut eam dicerent eidem Juri repugnantem. Quæ duo ſane maxime disjuncta ſunt: Nam ne quid ex Jure Naturæ, & Gentium profluere exiſtimetur, ſat eſt illud a ſimplici naturali ratione neceſſario non

 pro-

(a) *In fragment. tit. 19. §. 2. apud Schultingium.*
(b) *In Topic. c. 4. Orat. pro Cecinn. cap. 19.*
(c) *Apud Cic. lib. 1. de Offic. cap. 12., & Jac. Gothofred. ad XII. Tabul.*
(d) *Ulpian. in Fragment. dict. tit. §. 4.*
(e) *De Conſcientia cap. 5.*
(f) *Ad leg. 5. C. fin. Regund.*
(g) *Ad leg. 1. ff. de Uſurp., & Uſucap.*
(h) *Ad tit. de Uſurp., & Uſucap.*

proficiſci; neque ea præcipiente, atque impellente fieri. Sed ut illud ipſum eidem Juri repugnet, hoc amplius neceſſe eſt, ut eo prohibente inducatur: Dicam planius: Ex natura ſunt, quæ recta ratio præcipit: Contra naturam, quæ prohibet: At quæ neque præcipiente illa quidem, neque prohibente, ſed permittente fiunt, ea naturali Juri adverſari minime exiſtimanda ſunt.

Neque vero hoc ut ſentiam, adducor tantum auctoritate *Ulpiani* (a), qui ſcripſit, *Jus Civile neque in totum a Naturali, vel Gentium recedere, nec per omnia ei ſervire*: Scio enim, non defuiſſe, qui aliquid eodem in Civili Jure ſubtiliter deprehendiſſe ſibi ſuaſerint, quod Naturæ ipſi repugnare videretur. Sed primum illud me movet, quod vix eſt ulla Hominum ſocietas, quæ hoc temporariæ præſcriptionis genus jam non agnoverit, atque receperit. Nego autem præſcriptionis ejuſmodi vim tantam apud omnes fere Gentes eſſe potuiſſe, ſi recta naturæ ratio reclamaſſet. Quid? quod illam Jus ipſum Canonicum non improbat? Quod Jus cum ſanctum ſit, atque auguſtum, recte dici non poteſt, iis, quæ naturali juri repugnant, minimeque licent, voluiſſe addere pondus auctoritatis ſuæ.

Præterea bono publico Uſucapionem introductam eſſe, ne diu, & fere ſemper dominia rerum incerta eſſent, ait Gajus (b) confirmavit Imperator. (c) Et

(a) *L. 6. in princ. ff. de Juſt. & Jure.*
(b) *L. 1. ff. de Uſurpat. & Uſucap.*
(c) *Inſtit. de Uſucap. & longi temporis præſcript. tit. 6. in princ.*

Et Puffendorfius (a) Vir in primis acutus eodem ex fonte pacis, atque concordiæ, unde orta putat rerum dominia, Uſucapionem, atque præſcriptionem haurit. Cum autem Homines ad ſocietatem, ſine qua vix homines eſſe poſſunt, nati fuerint, atque inſtituti, quæ res ſocietatem ipſam conglutinant, naturæ ipſi adverſari non poſsunt: Quid enim naturali illa Hominum propenſione ad ſocietatem fiet, ſi quæ ad quietem ſocietatis maxime opportuna pro ingeniis hominum videntur eſse, naturali jure non liceant? Exulet præſcriptio, quam bene Caſſiodorus (b) *patronam generis humani* eſse dixit: Jam nulla quies Reipublicæ eſt: Hominum ſocietas perturbatur, quia omnia in incerto erunt: Alter alterum poſseſſione dejiciet, nullus diſsenſionum, nullus litium finis.

At enim naturæ lex non præcipit, ut quæ bono publico inducuntur, ea malo ſint Privatorum, quibus invitis, & minime conſentientibus dominium eripitur, aliiſque addicitur. Eſto; atque hoc ſatis cauſæ exiſtimavimus eſse, quamobrem temporaria præſcriptio Juris Civilis ad jus Naturale, & Gentium minime pertineret. Non præcipit quidem naturæ lex præſcriptionem, at non vetat, niſi fortè naturâ prohiberi velimus, quæ publico bono conjunctam habeant rationem æquitatis Civilis: Non enim hac æquitate caret Uſucapionis lex, quæ ſi quid damni Domino affert, certè propulſat ab eo, qui cum rem alie-

(a) *De Jure Nat. & Gent. lib. 4. c. 12. §. 9. in princip.*
(b) *Lib. 5. Variar.*

alienam a non Domino inſcius emerit, aliove titulo acceperit, emptamque, & acceptam diu poſſederit, majori fortaſſe favore dignus videtur, quam is, qui rei ſuæ tanto tempore poſſeſſionem intermiſerit [(a)]. Præterea ut hunc Poſſeſſorem tuetur adverſus ignavum Dominum, ita & ipſius Domini res cæteras, quas is bona fide diu poſſederit, tuetur adverſus alios beneficio pari [(b)]. Denique damnum, quodcumque eſt, privatorum publica utilitate rependitur [(c)]. Quæ utilitas publica, utilitas eſt ſingulorum, eamque habet æquitatem, quam Ariſtoteles *Juſtitiam ſecundum Rempublicam* appellavit.

Huc accedit non omnino invitos videri, qui tamdiu tacuerunt, ut ſinerent præterlabi tempus, quod Leges, quibus propter majorum incommodorum metum conſenſerunt, ſufficere Dominis ad inquirendas res ſuas ſtatuerunt. Nec temere; cum facile decennio incidere multa poſſint, quæ hominem non admodum deſidem ad res ſuas perquirendas, perſequendaſque excitent [(d)]. Quo tempore qui abutitur, jam neque inſcius, neque invitus plane videri poteſt; Quare inquit Paulus [(e)] *vix eſſe, ut non videatur alienare, qui rem ſuam uſucapi patitur*. Et Conſtantinus Imperator [(f)] ait: ***In perniciem ſuam geſta taciturnitate firmavit.***

Non

(a) Probè *Connanus Comment. Jur. Civil. cap. xi. lit. C.*
(b) *Donell. Comm. I. C. lib. 5. C. 30. num. 30.*
(c) *Puffendorf. de I. N., & G. lib. 4. cap. 12. §. 5. Donell. loc. cit.*
(d) *L. 1. ff. de Vſurp., & Vſucap. L. 2. C. de ann. except.*
(e) *L. alienationis 28. ff. de verb. ſignif.*
(f) *L. Vnica C. Theodoſ. de his, qui a non Dom.*

Non igitur Domino, qui tardus ac diſſolutus fuerit, ſine ipſius quaſi facto aliquo præſcribit Lex, ut ſi tamdiu tacuerit, ſilentium pro conſenſu, & negligentia pro facto habeatur. Habeatur, inquam; Neque enim certum Domini conſenſum, neque factum certum fatemur eſſe: Quæ ſi eſſent, jam recta ratio non poſceret modo, ſed flagitaret, ut crederemus a natura præſcriptionem fluere neceſſario; quod ſupra impugnavimus: Sed eam facti, conſenſuſque ſimilitudinem id valere dicimus, ut cum naturali jure nunquam pugnare videatur: Quam conjecturam legis ſi quis a natura diſſidentem putet, is non animadvertit naturali, & Gentium jure non prohiberi, quominus, ut ex aliis indiciis, ita ex diuturno ſilentio arguamus animum res abjicientem ſuas: Quia, ut inquit Grotius [a]; *Neque tamen patitur natura humanæ ſocietatis, ut actibus animi ſufficienter indicatis, nulla ſit efficacia: Ideo quod ſufficienter indicatum eſt, pro vero habetur adverſus eum, qui indicavit*: Quod idem vidit, & explicavit Jo: Barbeyracius [b].

Prudenter autem, neque certe inique Civilis Lex arguit, ſatis mentem abjiciendi res ſuas oſtendiſſe, qui ab ipſa lege monitus tacuit tamen, & diutius tacuit, quam hominem naturali propenſione rebus ſuis incubantem tacere potuiſſe credibile ſit [c]. Et quamquam conjecturæ legis illi, modo de qua di-

(a) *De Jure Bell., & Pac. lib. 2. C. 4. §. 3.*
(b) *Ad Puffendorf. de J. N., & G. lib. 4. cap. 12. §. 8. Not. Gallic. 3.*
(c) *L. 15. ff. de damn. Infect., l. 17. §. ... ff. de Uſur.*

Digitized by Google

diximus, conjectura alia repugnet, qua homines, ſuum quod eſt, projicere voluiſſe nunquam exiſtimantur [a]; tamen non injuſta videtur, neque inimica naturæ lex, quæ homini nolenti rem ſuam abjicere, ſat idoneum tempus ad hanc præferendam animi ſignificationem præſtituit [b]. Qua ratione & Dominis, ne facile res ſuas amitterent, & iis, qui bona fide diu poſſediſſent, & publicæ demum utilitati proſpectum eſt. Intereſt enim Reipublicæ, ut ſuas quiſque res ſervet diligenter, atque ideo ignavus poenâ, diligens præmio afficiatur [c]; Ut minime mirum videri debeat apud Romanos, vel ante XII. Tabulas, ſi quis agrum ſuum anni tempore ſordeſcere paſſus eſſet, eum fuiſſe a Cenſoribus [d] ignominia notatum: Induſtria enim Civium alit, ſocordia labefactat Rempublicam.

Hujus autem negligentiæ poena eo æquior videri debet, quod ſolos deſides afficit, non eos, qui juſtam aliquam vel diuturni ſilentii excuſationem prætendunt. Hinc adverſus hanc longi temporis præſcriptionem tutæ res ſunt Pupillorum, minorum, aliorumque [e], qui agere omnino non potuerunt. Reſtituuntur autem in integrum abſentes cauſa Reipublicæ [f], ii denique omnes, quibus vel propter Adverſarii abſentiam, vel propter vim, vel quod ita tem-

(a) *L. cum de indebito ff. de probat.*
(b) *L. 1. ff. de Vſurp., & Vſucap.*
(c) *L. 2. C. de annal. except., L. 12. C. depoſiti.*
(d) *Tit. Livius hiſtor. lib. 4. cap. 8. & Agellius lib. iv. c. 20.*
(e) *Toto tit. Cap. Quibus non obſtat præſcript. long. temp.*
(f) *L. 1., & 2. C. de reſtit. Milit., & eor., qui Reip. cauſa abſunt.*

108

temporum acerbitas ferret, jus ſuum [a] perſequi non licuit. Præterea quæ lex præſcriptionis pœnam adverſus negligentes conſtituit, eadem ſat facilem effugiendæ pœnæ rationem docet. Quid enim facilius, quam præſcriptionis curſum vel teſtificatione [b] aliqua interrumpere? Quamobrem præſcriptionis lex, quæ certè prodeſt Reipublicæ, ac ſi Privatis obeſt, iis tantum obeſt, qui vel a culpa, vel a ſuſpicione culpæ non abſunt, in ea videtur moderatione verſari, ut ſummam juris Civilis prudentiam, nullam naturalis repugnantiam præſeferat. Quæ opinio etiam probata eſt [c] doctiſſimis, & magnæ auctoritatis viris.

Hactenus de præſcriptione certo quodam temporis ſpatio a jure Civili concluſa: Reliquum eſt, ut de immemorabili diſſeramus; quam juris Civilis Interpretes [d] ita per ſe valere ajunt, ut tituli vim habeat omnium firmiſſimi, pacti nimirum, Conſtituti [e], & alterius cujuſvis, qui ad poſſeſſionem infiniti fere temporis conſtabiliendam validior, & ap-

(a) *L. 9. Cod. Theodoſ. de infirm. his, quæ ſub Tyrann. cap. 14. de præſcript. Inſtit. de action. §. 5.*

(b) *L. 2. C. de annal. except.*

(c) *Donell. comment jur. Civil. lib. 5. cap. 30. Vaſquez diſput. part. 1. cap. 52. Everard. Otto in præfat. Theſaur. Jurid. tom. 5. Heinecc. Syllog. 1. Opuſc. var. exercit. 26. §. 3. Werlhof. diſſert. de præſcrip. §. 31.*

(d) *Ad L. ultim. ff. de aq. & aq. pluv. arc., & ad Leg. 1. §. ultim. eod., & ad Leg. 3. §. ductus aquæ ff. de aqu. cotidian. & æſtivo.*

(e) *Gloſſa in c. 1. de præſcript. in 6. Anton. Faber lib. 7. C. tit. 13. defin. 2. Cujac. ad L. 5. C. de præſcript. 30, vel 40. annor. Bartol. in L. 1. C. de ſumma Trin. Peregrin. de jure Fiſc. lib. 1. tit. 2. n. 65.*

aptior eſſe videatur: Eſt enim Vetuſtas ipſa velut altera lex [a].

Sed an hæc ex jure tantum Civili, ac Prudentum interpretatione, an etiam ex eo, quod Naturæ, & Gentium jus dicitur, deducantur, videamus. Qua pariter in re magna eſt doctiſſimorum hominum diſſenſio. Sunt enim [b], qui negant, & ſic agunt: Cui rei vitium aliquod primùm hæreat, eam rem niſi vitio illo ſublato, nunquam non eſſe vitioſam; neque ullam eſſe vel immenſi temporis vim tantam in eam partem, ut tollat vitium, atque adeo injuſtam poſſeſſionem faciat juſtam: Contendere adverſus naturam, qui quod alterius jamdiu fuiſſe conſtet, & nunquam voluntarie dimiſſum appareat, habere velit tanquam ſuum, non alio fretus titulo quam immemorabilis temporis, cum is graviorem potius injuriam, quo longiùs poſſederit, antiquo Domino feciſſe videatur: Quare concludunt, nullam præſcriptionem, & ne immemorabilem quidem ad naturæ principia revocari poſſe, neque propterea vigere apud Gentes, quæ civili inter ſe jure non utuntur.

Verum alii ſunt, & hi quidem magni, & nobiles [c], qui ſecus omnino exiſtimant, & immemo-

(a) *L. 2. ff. de aq. pluv. arcend.*

(b) *Petrus Puteanus in differt. adverſus Alberic. Gentilem, & Hugonem Grotium. Samuel Coccejus in Commentar. ad Grot. l. 2. cap. 4. §. 1. Bodin. de Rep. l. 6. c. 2. Buchanan. lib. 12. ad ann. 1481. Michael Hoſpitalius apud Camd. in Eliſ. part. 1. ad ann. 1567.*

(c) *Grot. lib. 2. C. 4. §. 7., Puffendorf. l. 18. rer. Brandemburg. §. 15. Conring. de fin. Imper. C. 19. Selden. lib. 1. Mar. Clauſ. C 26., Hugo de Roy l. 3. de eo, quod juſtum eſt tit. 2. §. 4., Everard. Ot-*

 109

morabilis poſſeſſionis vim ab ipſo Naturæ, & Gentium jure repetunt. His ego aſſentior, & ſic primùm ſtatuo: Dominia rerum a natura eſſe: Nam cum initio rerum univerſarum effector, ac parens Deus ad communem ſingulorum hominum uſum omnia condidiſſet, jam eorum cuique, quantum neceſſitas ferebat ut occuparet, jus, atque poteſtatem dedit: Juſta igitur occupatio, quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria fuit; neque ſane cum aliorum damno, atque injuria conjuncta, quibus in tantâ hominum paucitate, atque immenſitate camporum abunde ſuppetebat, unde victum, & vitæ commoda quæritarent. Hinc prima dominii, & proprietatis cauſa occupatio: Altera excolentium labor, atque induſtria: Nam qui primi res occupaverant, cum induſtriam, & operam, quæ ſua ipſorum erat, ad percipiendos fructus contuliſſent, ita Domini efficiebantur, ut ſine injuria ſpoliari non poſſent. Hujus pulcherrimæ, veriſſimæque opinionis vindex Lockius, qui [a] ſectatores [b] habet neque paucos, neque ignobiles.

At utriuſque cauſæ, quam mox diximus, caput atque ſons natura eſt. Ex quo nihil effici aliud volo,

Otto in Not. ad Puffendorf de Offic. Hom., & Civ. lib. 1. C. 12. §. 12. Henric. Coccejus Comm. ad Grot. l. 2. c. 4. §. 1. Vitriar. Jus Nat., & Gent. lib. 2. c. 4. §. 8. Gundling. Jus Nat., & Gent. C. 20. §. 58., & ſeq. Hubeiſel. de fundament. in doctrina de præſcriptione diſtinctius ponendis. Werlhofius, & Kippingius peculiaribus diſſertationibus adverſus Puteanum.

(a) *Gouvernement Civil cap. 4.*

(b) *Cerard. Titius Obſerv. 278. n. 2. Barbeyrac. ad Puffendorf. de J. N. & G. lib. 4. cap. 4. §. 4. not. 4.*

volo, niſi ut quemadmodum a naturali jure Dominium, & proprietas fluit, ita ab eodem ipſo naturæ capite deduci oporteat ea omnia, ſine quibus Dominia ipſa conſiſtere nullo modo poſſunt. At nego equidem quidquam eſſe rerum Dominiis conſtituendis non opportunum modo, ſed magis neceſſarium, quam immemorabilem poſſeſſionem: Quæ ſi tollatur, ubi quæſo fixa, firma, non incerta omnino Dominia rerum? Vix enim & ne vix quidem res ulla eſt, quæ, ſi initia repetas, non ſit hujuſmodi, ut a vero Domino amiſſa, deinceps ab altero, qui Dominus non erat, poſſideri cœperit. Satis hoc teſtantur Hiſtoriæ, & docet viciſſitudo ipſa rerum humanarum. Quod primæ poſſeſſionis vitium in conſequentes poſseſſiones omnes ſic manaret, ut alter alteri injuſtitiam poſſidendi facile exprobrare cum poſſet, non caligo quædam, cui facile diſſipandæ ſatis eſt temporaria civilis præſcriptio, ſed nox rebus omnibus offuſa eſset ſempiterna. Huic tanto malo ſola occurrit præſcriptio immemorialis, quam ideo recte a natura proficiſci exiſtimandum eſt, niſi forte ab ea dicamus ita orta dominia, ut convellerentur omnia, non ut certa conſiſterent.

Præterea juris Naturalis, & Gentium eſt, ut qui velit poſseſsorem adeo diuturnum deturbare, cauſam afferat idoneam, quamobrem ea res ita ſua ſit, ut injuſte ab altero detineatur: Sed vix eſt, ut afferat adverſus eum, qui poſseſſionem immenſi temporis patrocinio defenſam habet. Cum enim poſſeſſio immemorabilis in eo verſetur, ut ſui initii memo-

moria [a] apud Homines nulla extet, quis vitioſum illud ſit, nec ne ſit, docere unquam poſſit? Neque vero male cœptæ poſseſſionis vitium evinci ex antiquiſſimis tabulis, & monumentis literarum poteſt: Quæ ſi proferantur, teſtabuntur illa quidem fortaſſe rem olim aliorum, ac præſentis Poſseſsoris fuiſſe, at nunquam ejus nunc docebunt eſse, cujus actio eſt. Nam quo plures, & variæ Dominia quævis transferendi cauſæ, & modi ſunt (pendent enim ex iis actionibus, quibus inter nos ad aliquem uſum neceſſitatemque communicamus) eo facilius videri debet, Dominium rei a veteri Domino ad alios, atque adeo ad poſtremum uſque poſseſsorem legitimo jure devenire potuiſse: Et cum incerta ſit certæ poſseſsionis injuſtitia, hæc ut illam vincat, effici [b] non poteſt, repugnante natura.

Quid ſi rem primo illi Domino injuriâ fortaſse ablatam fuiſse pateat? An ſuâ cauſa Poſseſsor immemorabilis temporis cadet? Nihil vero minus, niſi primum doceatur, ei, qui injuriam intulit, poſſeſsorem ſucceſſiſse. Quæ res quantam difficultatem habeat, nemo non videt: Deinde intercidente memoria Hominum illud ſane deficit, quo, quid interjecto tempore factum ſit, oſtendatur: [c] Multa enim in-

(a) *Gundling. Jus Nat. & Gent. cap. 20. §. 58. Everard. Otto in præfat. Theſaur. Jurid. Tom. 5. Henric. Coccejus comment. ad Grot. lib. 2. cap. 4. §. 1. Anton. Faber C. lib. 1. tit. 3. def. 58.*

(b) *Henric. Coccejus Commentar. ad Grot. lib. 2. c. 4. §. 1. Gundling. c. 20. de Domin. §. 61. Everard. Otto in not. ad Puffendorf. De Off. hom. & Civ. lib. 1. c. 12. §. 12.*

(c) *Anton. Faber C. lib. 7. tit. 13. defin. 2. Everard. Otto in præfat. Theſaur. Jurid. Tom. 5. Thomaſius apud Gundling. de Jur. Nat. & Gent. c. 20. §. 63.*

incidere potuerunt, quæ prima injuſtitiæ deleta quaſi macula, novam poſſidendi cauſam, eamque legitimam induxerint: Et novam inductam nonne maxime immenſi temporis ſilentium comprobat? Incredibile enim eſt, ut qui Dominus rei fuiſset, tanto illam tempore, quod Hominum memoriam excedit, apud alium tacitus reliquiſset. Aut igitur pactione aliqua in eum translata res eſt, aut plane pro derelicta haberi debet: Quorum alterutrum fuerit, ei, qui ab immemorabili poſſidet, ſalvas res eſse jubet Naturæ lex.

Atque hæc infiniti temporis taciturnitas tanti apud Grotium [a] fuit, ut ob eam ſolam, rem jam plane a Domino derelictam exiſtimaret. Idque maxime intereſse ſtatuit præſcriptionem inter temporariam, atque immemorabilem, quod illa, ut ad jus Gentium referatur, indicia quædam poſtulat, quæ oſtendant Dominum a ſe rem abdicare voluiſse; ſilentium videlicet *Domini ita ſcientis, libereque volentis*, [b] ut nulla alia ſilentii cauſa appareat. Hæc autem immenſi temporis taciturnitatem quærit unam, præterea nihil. Quod quidem naturali æquitati maxime conſentaneum videtur, cum quæ definito plerumque tempore non contingunt, infinito certe non contigiſse incredibile ſit.

Habet quidem *Grotius* adverſarios non paucos ſententiæ ſuæ, ſed habet etiam propugnatores multo plures, quos inter non ſunt ſilentio prætereundi Co-

(a) *De I. B. & P lib.* 2 *c.* 4. §. 8.
(b) *Grot. de I. B. & P. l.* 2. *c.* 4. §. 5. *n.* 3.

Digitized by Google

Conringius, ejuſque præſertim diſcipulus Werlhofius (a) qui vehementem, & bene longam Grotianæ ſententiæ defenſionem ſcripſit. Quanquam ſua ipſa æquitate magis defenditur; neque non probari potiſſimum Populis, & Nationibus debet, quorum Imperia (b) Poſseſſio immemorialis tuetur una maxime. Nam ſi eo res deducta eſset, ut poſt tempus, quod Hominum memoriam exceſſit, dejici quivis poſseſſione ſua facile poſset, jam humanæ ſocietatis non perturbatio quædam, ſed deteſtabilis interitus exiſteret. Atque hinc magnum diſcrimen inter temporariam præſcriptionem, & inter immemorabilem, quod illa Hominum ſocietati conſtabiliendæ *utilis*, hæc conſervandæ *neceſſaria*.

Hoc autem humanæ Societatis vinculum omnium firmiſſimum intellexerunt Gentes fere omnes, quæ naturæ ipſius voci obtemperantes immemorabilis præſcriptionis jus agnoverunt, & ratum, atque fixum eſse voluerunt. Hac de re multa profert exempla vetera Grotius (c) recentiora Henricus Coccejus (d) Gentium, ac Populorum, qui ſua imperia immemorabili poſseſſione fundarunt, ac retinuerunt. Quæ prætermitto. Satis enim nota

(a) *In Diſſertatione, cui titulus Vindiciæ dogmatis Grotiani de præſcriptione inter Gentes liberas.*

(b) *Grot. d. c. §. 8. n. 3. Molin. de Juſt. & Jur. tract. 2. diſp. 24. Belarminus lib. 3. de Laic. cap. 6. Solorçano de Jur. Ind. tom. 1. l. 3. c. 3. n. 21. cum ſeqq. Hug. Roy de eo quod juſtum eſt l. 3. t. 2. §. 4. Zoachæus I. Feciali p. 11. ſect. 3. quæſt. 8. Kulpis Coll. Grotian. exerc. 3. p. 44. Selden. Mar. Clauſum lib. 1. cap. 26. Ockel de præſcript. immemoriali Th. 13.*

(c) *De I. B. & P. lib. 2. cap. 4. §. 2.*

(d) *Commentor. ad Grot. d. lib. d. cap. §. 1.*

ta ſunt, neque ad commemorandum neceſsaria.

Reſtat igitur, ut eorum qui in contrariam abeunt ſententiam rationum momenta confutemus, quæ huc demum referuntur omnia, quod iniquum exiſtiment, nec ſecundum naturæ legem, alienum quod eſt, ex ſola temporis vi retineri. Sed illud non vident probari nunquam poſse alienam eſse rem, cujus rei alter poſseſſionem habeat immemorabilem. Jam fuiſse facilis probatio eſt, eſse autem ut probent, effici non poteſt. Nam quod ajunt, & in eo perſtant maxime, quæ res initio vitioſa fuerit, eam nullius temporis vi poſse vitium deponere: diuturnitatem temporis injuriam augere, non tollere, perfacilis reſponſio eſt. Cum vitium quod aſserunt, probari non poſsit: Neque nos quidem a tempore vitium rei tolli contendimus, ſed poſseſsionis initium, cujus nulla memoria extat, vitioſum evinci poſse, id eſt, quod negamus. Quod ſi poſseſsor minime malus fateatur, ſe poſsidere eo nomine, cujus vitium evidens ſit, tum demum non impugnamus, quin ſua ipſe confeſsione juguletur, (a) & alienum, quod liquet eſse, ſuo Domino tribuatur.

Hæc ſunt, quæ de Uſucapionis præſcriptioniſque origine ſtrictim diſserenda exiſtimavimus, non quo novum aliquid & exquiſitum afferre videremur, ſed ut inſtituto noſtro pareremus. Multa alia ſunt, quæ

(a) *Covarr. in Cap. Poſſeſſor de Reg. Jur. in 6. part. 2. §. 5. n. 4. Bruneman. ad leg. Unic. C. de Uſucap. transformand. num. 13., Lotter. de re benefic. lib. 2. q. 46. n. 59. Card. de Luc. de Jurepatr. diſc. 57. n. 17.*

quæ de Præſcriptionis Immemorialis vi inter civilis publicique Juris Doctores atque Interpretes diſputantur, quorum aliqua nos attigimus iis in Theſibus, quas publice defendendas proponimus.

THE-

Digitized by Google

T H E S E S

Ex Leg. Unica Cod. de Uſucap. transformanda, & ſublatâ differentiâ rerum mancipi, & nec mancipi.

Concluſio I. Præſcriptio Juris Civilis certo temporis ſpatio definita Juri naturali, & Gentium non repugnat.

Concluſio II. At præſcriptio immemorialis ex ipſo Jure naturæ, & Gentium promanat.

Concluſio III. Hinc obtinet in controverſiis de ſummis Imperiis inter Gentes, alioſque omnes, qui Juri Civili non ſubſunt.

Concluſio IV. Afficitque etiam non natos.

Concluſio V. Et libertatem perimit Populorum.

Concluſio VI. Regalia item minora hoc modo præſcribuntur.

Concluſio VII. Sed Regalia majora nullo unquam tempore a ſubditis præſcribi poſſunt.

Digitized by Google